

XV. VICE GLOBUS TERRESTRIS, an Geo. Mes.
 §. 3. Ut aliquo saltem, exiguo licet, invento Geographiam juvaremus, cum plures sint modi distantiarum ex datis longitudinibus & latitudinibus aucupandarum, qui omnes majorem habere difficultatem videntur, quam ut ab omnibus exerceri possint; duos ego semicirculos (vice perfecti globi) tantò commodiores ad hunc usum, quantò ampliores, tanquam duos Meridianos ex communi diametro, tanquam axe mundano, ad Æquatoris arcum interceptum, tanquam ad datam locorum differentiam longitudinariam, divaricantes, constituere meos Auditores jussi, in quorum circumferentiâ gradibus suis discretâ locus uterque, alter in alterius, juxta latitudinis datam rationem notandus est. Capta namque circino distantia locorum si circumferentiæ applicetur, gradibus suis & consequenter milliaribus jam æstimata constat, multò compendiosius, quam si modo quovis alio fueris operatus.

CAP. XVIII.

De Aerometria.

§. 1.

Aerometria est scientia aeris secundum attributa sua determinatè spectata. Qualis cum primis sunt tum motus illi, quos dicimus *Ventos*, quam partem aerometriæ potissimum Geographi hætenus tradiderunt: tum qualitates quædam partibiles, ut *Pelluciditas*, *Reflexio*, *Refractio* quoque radiorum, indeque nata *Lux*, eaque vel terminata *Iridum*, *Paraliorum*, *Paraselenarum*; vel interminata, ut lux diurna, quam aëri immediate debemus. Quæ omnia cum ipsâ magnitudine seu spissi-